

nem administrare Diocesim ante confirmationem, dummodo tamen electi fuerint in concordia. Alienatio autem bonorum ecclesiasticorum penitus iisdem interdicitur. Hæc porro dispositio licet dicatur ab Innoc. III. facta dispensatione, tamen quia inclusa est in Corpore Juris, habetur ceu dispositio ordinaria et exceptio.

42. At objici potest sententia Bonif. VIII. in Extrav. 'Injunctæ' l. h. t. inter communes, in qua cautum est ne Episcopus vel Abbas vel Prior Monasterii qui apud S. Sedem promoventur vel confirmationis, consecrationis aut benedictionis munus recipiunt, accedere ad propriam Ecclesiam, vel ad Monasterium proprium vel bonorum ecclesiasticorum administrationem suscipere audeant absque litteris apostolicis, in quibus promotio, confirmatio, consecratio vel benedictio accepta exprimitur. Quod si hasce litteras non exhibeant, prohibet Pontifex quominus aliquis eosdem recipiat vel eis obtemperet. Difficultas vero non subsistit; nam hæc constitutio Bonifacii respicit ordinariam et non præcariam Diocesios administrationem. Atque eo dirigitur ut nemo qui se jactat promotum vel confirmatum ab Apostolica Sede, ceu talis habeatur, nisi litteras apostolicas in forma authentica præsentet. E converso dispositio c. 44. respicit præcariam administrationem Diocesios, quam suscipit electus in concordia ex legali consensu Pontificis quoadusque negotium confirmationis in Curia romana fuerit completum. Qua accepta confirmatione electus præsentat litteras apostolicas et agnoscitur ceu verus Episcopus.

43. Hodie autem præ oculis habenda est dispositio expressa in Constitutione Pii IX. 'Romanus Pont.' data V. Kal. Septem. 1873 circa electi potestatem. Traditur: a) Capitulum Cath. non posse remove Vicarium Capitularem ab officio suo quando fuerit rite constitutus, et hunc permanere in suo officio quoadusque novus Episcopus litteras apostolicas de oblato sibi Episcopatu Capitulo juxta Constit. 'Injunctæ', vel deficiente Capitulo ei exhibuerit qui ad normam sacrorum canonum vacantem Diocesim administrat, vel ejusdem Vicario. — b) Constitutionem Gregorii X. in c. 'Avaritiæ' h. t. in 6°. applicari etiam nominatis et præsentatis a supremis reipublicæ civilis moderatoribus cujusque generis sint; adeoque abolitum esse usum vel abusum quo Capitulum Ecclesiæ Cathed. vacantis obsequens invitationi seu mandato supremæ civilis potestatis, concedebat et transferebat in nominatum vel præsentatum ad eandem Ecclesiam curam et regimen et administra-

tionem Ecclesiæ ipsius. Quam administrationem nominatus et præsentatus suscipiebat sub nomine provisorii vel vicarii generalis antequam exhibuisset litteras apostolicas de propria ad Episcopatum promotione. — c) Vacante quomodocunque officio Vicarii, Capitulum vel eum ad quem pertinet electio Vicarii debere novum Vicarium eligere, ita tamen ut electio non cadat in personam electi vel nominati ad dignitatem Episcopi illius Ecclesiæ. Quod si deputatus fuerit in Vicarium Capitularem iste, qui est electus in novum Episcopum, deputatio nullius est valoris. — d) Dignitates et Canonicos transferentes curam et regimen sub quovis titulo in nominatum vel præsentatum, incurrere ipso facto penam excom. majoris et privationis fructuum beneficiorum quæ possident et aliorum proventuum ecclesiasticorum si habent. Hæc autem pœna reservata est R. Pontifici speciali modo. — e) Eisdem pœnas incurri ipso facto ab ipsis nominatis et præsentatis ad Ecclesias vacantes quando earum curam suscipere audeant ex concessione et translatione dignitatis aut capituli in eos peracta; simulque ab iis qui paruerint his rebus vel consilium vel favorem præstiterint cujusque dignitatis fuerint has pœnas incurri et reservatas ut supra incurri. — f) Nominatos et præsentatos administrationem acceptantes amittere jus quod quæsierant per nominationem vel præsentationem, et si aliquis ex prædictis personis caractere episcopali sit insignitus incurrere suspensionem ab exercitio pontificalium nec non pœnam interdicti ab ingressu in Ecclesiam; et utramque pœnam reservatam esse Rom. Pontifici. — g) Nulla esse et omnino irrita ea omnia quæ geruntur in administratione Ecclesiæ a nominatis, electis, præsentatis qui administrationem susceperint ante præsentationem litterarum apostolicarum.

44. De Confirmatione Prælatorum. — Ut plebs Christiana de bono pastore provideretur, jus canonicum constituit ut non solum Capitulum personæ promovendæ qualitates agnosceret, et nonnisi eum in pastorem eligerent quem cognovissent idoneum; sed voluit ut superior maturo consilio electionem examinaret, ac negotium quasi de novo expenderet c. 44. h. t. omniaque rite processisse, optimamque factam fuisse electionem dignoscens, eam ratam haberet ac probaret.

Porro spectato jure communi Decretalium nisi specialis daretur exceptio, confirmatio pertinebat ad superiorem proximum et

immediatum. Ita ut Abbates non exempti Ecclesiis præficerentur per confirmationem Episcopi; Episcopi confirmarentur ab Archiepiscopo; et ita porro de gradibus superioribus dicendum est capp. 13. 21. et 32. h. t. nec non can. Nullus omnino c. 16. q. 7. Unde etiam in Oriente praxis inducta fuit, ut electi ad Ecclesias Patriarchales, non reciperentur nisi antea eorum electio a S. Sede fuisset confirmata. In confirmatione idem ordo graduum servatus est, qui servabatur circa gradus judiciales, seu ordo graduum appellationis iudicæ, ita ut ille jus confirmandi electum haberet qui recipere debebat immediate appellationes a sede cujus Prælati erat confirmandus.

45. Duo autem antequam confirmatio pronuncietur sunt præmittenda 1º. Si electus non sit electus in concordia et habeat contradictorem, hic nominatim est citandus ut possit rationes suas et animadversiones exponere contra factam electionem. Vel si nemo adsit contradictor, nihilominus per edictum generale ad valvas Ecclesiæ cui præficiendus est electus, citari debent si qui sunt, qui electionem impugnari posse existimant, ut infra determinatum et peremptorium tempus compareant; quæ citationes si omittantur, confirmatio inde secuta est irrita c. ult. h. t. in 6º.

2º. Confirmationi præmitti debet examen circa electionis formam, ipsamque personam electi. Superior scilicet antequam confirmationem proferat diligenter inquirere tenetur utrum norma sacrorum canonum fuerit servata, et utrum persona electa habeat qualitates præsertim recensitas in c. 7. h. t. vel potius indignus sit. Quod si superior hoc examine omisso confirmet electum, privatur non solum jure confirmandi successorem electi, sed etiam suspenditur a perceptione fructuum beneficii proprii quoadusque censeatur sufficienter punitus c. 44. h. t.

Cæterum tempus ad dandam confirmationem in jure non est determinatum, sed si nimium protrahatur confirmatio, vel si absolute denegetur, appellari potest ad superiorem confirmantis.

Facta confirmatione electus constituebatur tamquam verus Prælati Ecclesiæ, et consequebatur plenam jurisdictionem et administrationem Diocesanos, exceptis iis, quæ ministerium consecrationis exigunt. Quare corrigere, censuras ferre, facultatem concedere poterat absolvendi c. 15. h. t. Excipitur autem Archiepiscopus, qui actus jurisdictionis seu muneris archiepiscopalis exercere

non potest etiam post acceptam confirmationem, nisi etiam pallium obtinuerit c. 28. h. t. §. super eo.

46. Quoad hodiernam praxim ordinariam postquam provisio Episcopatum reservata fuit Rom. Pontifici, confirmationis locum tenere videtur solemniter promulgatio electi vel præsentati in Consistorio Rom. Pontificis. Verum jurisdictionem exercere non potest novus Episcopus in Diocesi, antequam litteras apostolicas promotionis suæ capitulo exhibuerit. Ita in Const. 'Injunctæ nobis' h. t. inter Extrav. Commun. Præterea in Const. 'Apostolicæ Sedis' edita Idibus Octob. an. 1869, inter suspensiones latæ sententiæ summo Pontifici reservatas sub 1. legitur: 'Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, alique omnes, qui ad illarum vel illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione'. Accessit Constitutio Pii IX. quæ incipit 'Romanus Pontifex' edita quinto Idus Septem. an. 1873. quam superius per summa capita retulimus. Tandem in præsentia materia opportunum est referre dispositionem c. 7. h. t. §. 'Cum vero', juxta quam post confirmationem et possessionem pacificam Episcopatus, vacant ipso jure omnia beneficia, quæ novus Episcopus habebat. Unde in praxi inductum est, ut si novus Episcopus aliquod beneficium retinere velit, debeat a Romano Pontifice per expressam concessionem illud obtinere.

47. De Consecratione. — Ea quæ sunt Ordinis Episcopalis electus et confirmatus in Episcopum acquirit per consecrationem. Cum vero ministerium Ordinis in Episcopo sit maximi momenti, ac sæpe exercendum, hinc in jure definitum est, ne diu protrahatur susceptio consecrationis. Et Conc. Trid. sess. 23. c. 2. de Ref. statuit ut electus licet sit S. R. E. Cardinalis, post Confirmationem non debeat *ultra tres menses* consecrationem differre, secus teneatur ad fructuum perceptorum restitutionem. Quod si vero per aliud trimestre neglexerit consecrari, Tridentinum decernit, eum Ecclesia sibi adsignata, idest episcopatu ipso jure privari. Porro quoniam ipse electus tenetur ad restitutionem fructuum, hæc obligatio in conscientia urget etiam ante sententiam declaratoriam iudicis. Quoniam vero pœna privationis a munere episcopali ex-

ternam executionem importet, hinc merito P. Thesaurus, De pœnis cap. 2. v. Episcopus, docet hanc pœnam non obligare ante sententiam iudicis.

48. Consecratio autem Episcopi jure communi fiebat ab Archiepiscopo, qui hoc munus alteri poterat committere. Archiepiscopus a suis suffraganeis consecrabatur. Inter hos autem senior eligebatur. Si Episcopus nulli subiciebatur Archiepiscopo, consecrabatur a Viciniore. Ad corrigendos præsertim abusus Metropolitanorum qui exigebant a suffraganeis juramenta et obedientiam ultra canones, factum est ut consecrationem sibi reservaverint Romani Pontifices; quam consecrationem vel per se perficiunt, vel alteri faciendam committunt, quæ si Romæ est celebranda, generatim committunt alicui ex S. R. E. Cardinalibus vel Patriarchis majoribus titularibus.

49. Porro consecratio perficitur a tribus Episcopis quorum unus consecrator appellatur, alii duo conconsecrantes seu adsistentes. Quæ ratio consecrationis perficiendæ non divinæ institutionis esse traditur, sed ex disciplina simpliciter apostolica inducta dicitur. Quare suprema potestas in Ecclesia potest in ea dispensare, ac facultatem concedere, ut unus tantummodo Episcopus consecrationem perficiat cum duobus presbyteris adsistentibus, qui si fieri potest dignitate ecclesiastica fulgere debent. Confertur vero consecratio vel die dominica vel die natali alicujus Apostoli, et intra Missæ celebrationem, in qua Episcopus consecrandus sacrum peragit cum Episcopo consecrante.

Per consecrationem Episcopus fit vere sponsus Ecclesiæ suæ conjunctus cum ea in vinculo spiritualis conjugii c. 4. de Transl. Episcopi.

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

1. Cum titulus de postulatione plura habeat communia cum titulo jam explicato de electione; cumque postulatio censeatur subsidiaria electionis, hinc optimum factu duximus tractatum de electione præponere tractatui de postulatione. Ex principiis capp. 20. et 23. De Elect. potest postulatio definiri 'capituli petitio destinata superiori, ut ad prælaturam ecclesiasticam dispensative dignetur admittere illum qui ob aliquod canonicum impedimentum

eligi non potest'. Convenit postulatio cum electione in scopo, utraque enim est modus juridicus designandi pastorem pro ecclesia viduata. Differunt vero in pluribus: 1^o. Electio cadere non potest nisi in idoneam personam nulloque impedimento ligatam; postulationis vero subjectum est persona inhabilis ad talem prælaturam ob aliquod impedimentum canonicum a quo debeat dispensari. Ex quo sequitur 2^a. differentia, scilicet electio jus ad prælaturam tribuit confirmatione supplendum, postulatio autem nullum jus tribuit postulato, nec superior tenetur admittere petitionem. Actus enim hujusmodi in jure dicitur potius actus gratiæ quam justitiæ, dum confirmatio electionis est potius actus justitiæ c. 3. h. t. Unde in hac Decretali Innoc. III. non admittit postulationem S. R. E. Cardinalis et Episcopi Imolensis ad sedem Ravennatensem.

2. Quod si aliquando postulatio a superiore debet, ipso jure disponente, admitti ob publicam causam, hæc dispositio procedit ex Ecclesiæ necessitate, et non in gratiam postulati quatenus aliquod jus acquisierit. Ipse enim defectu sive impedimento laborat quominus de prælatura provideatur. Quare postulatus per acceptionem absolutam consentire non potest in postulationem, nisi preces jam a superiore fuerint admissæ. — Hinc 3^a. datur differentia. Juxta c. 58. de Elect. completo negotio de electione per scrutinii publicationem, electores nequeunt electionem revocare. Postulatio autem revocari potest quia quæsitum jus non parit postulato. At revocari nequit postulatio si fuerit superiori præsentata, quia si revocaretur post præsentationem, injuria inferretur superiori cujus judicium frequenter illuderetur c. 4. h. t.

4^a. Differentia respicit numerum suffragiorum. Postulatio enim si cum electione concurrat, necesse est ut postulantium numerus sit duplo major eligentium c. 40. de Elect. Si vero omnes Canonici postulare cupiant, discriminentur autem circa personam, illa postulata censebitur in quam concurrat major Capituli pars.

3. Postulatio dividi solet in solemnem et non solemnem seu simplicem. Solemnis postulatio seu postulatio proprie dicta, cui definitio superius allata convenit, tunc obtinet cum ab electoribus preces admoventur superiori, ut dignetur dispensare circa defectum et impedimentum canonicum alicujus personæ, quæ esset ad prælaturam promovenda. Postulatio non solemnis locum habet cum exposcitur solummodo licentia et consensus superioris postulati,